



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Crimen Falsum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**

## CRIMEN FALSUM.

171. **Q**Uæritur. An peccet mortaliter, & contra iustitiam, qui intra iudicium crimen falsum falso testis, & accusatori ad eorum testimonium infirmandum, sive extra iudicium ad propriam iustitiam, & honorem defendendum injusto detractori imponit?

Resp. Ex propositionibus 43. & 44. interdammatas ab Innoc. XI. & ex Comm. DD. sensu constat, id esse mortale, & contra iustitiam, ratio est, quia mentiri in materia gravi est gravis culpa, imponere enim detractori, vel testi iniquo crimen falsum, est proculdubio mentiri in materia gravi; undè fit, quod si in nullo casu licitum est mendacium leve, ne ad vitam quidem propriam defendendam, cum sit intrinsecè malum, à fortiori illicitum erit in quocumque casu mendacium hoc grave, cum sit contra iustitiam, & trahat onus restitutionis, sive in iudicio, sive extra iudicium proferatur, nam læditur jus, quod habet ad propriam famam detractor, & iniquus testis, si imponantur illis falsa crimina, cum hæc in tali casu ad vindictam, non vero ad defensionem imponantur.

172. **Q**Uæritur. An reus falso accusatus possit manifestare crimen occultum sui accusatoris, aut testis?

Resp. 1. si manifestatio ejus delicti est inutilis ad defensionem rei, peccat reus contra iustitiam manifestando delictum testis, vel accusatoris, variis autem modis potest esse inutilis ad defensionem rei ea manifestatio, 1. si crimen manifestandum

NON

non est ex illis quæ testem reddunt inhabilem ad testificandum. 2. si reus id crimen non possit probare, nam sine probatione nihil prodest ad defensionem rei. 3. si sit alia via, per quam possit se defendere sine manifestatione ejus delicti, ratio est manifesta, quia sola causa defensionis potest justificare propagationem delicti ejus testis, nam ubi non est ratio defensionis, integrum manet jus justitiæ, quod habet testis, seu accusator ad suam famam conservandam.

Resp. Quando hæc manifestatio delicti occulti necessaria est ad defensionem rei, licitum est reo facere eam manifestationem, ratio est, quia si ei non sit alia via se defendendi, hæc est justa defensio; imò probabile est, quod reus possit manifestare delictum occultum testis, seu accusatoris, non solum quando iste dicit falsum, sed etiam quando testatur verum, nam testis, qui habet illum defectum licet occultum, inhabilis est ad testificandum, ideoque reus jus habet excludendi à sua causa testes inhabiles; nisi in casu, quo parvum damnum immineat reo, testi autem maximum, tunc enim peccat mortaliter reus, saltem contra charitatem, si manifestet tale delictum occultum testis, seu accusatoris.

173. Ex dictis patet, hanc sententiam de manifestatione occulti delicti testificantis neque formaliter, neque virtualiter esse damnatam, non formaliter quia damnatio non loquitur expressè, nisi de eo, qui falsum testimonium dicit; non virtualiter, quia hæc sententia de manifestando occulto crimine testis non est antecedens, unde

in-

inferatur evidenter opinio, quod reus potest imponere falsum crimen testi iniquo.

174. Quæritur. An reus possit manifestare delictum testis, quod sibi commissum est ex fide secreti cum pacto de cælando?

Resp. 1. Ejusmodi pactum de secreto cælando esse iniquum, v. g. si ejus secretum vergat in damnum grave Reipublicæ, aut tertii, tunc enim pactum non obligat, etiamsi juramento firmetur, quia juramentum non est vinculum iniquitatis; si tamen tale sit pactum, ut licitè possit servari, illud obligat jure naturali, & ideo reus non potest se defendere manifestando delictum occultum testis, quod sub peccato tenetur cælare, nisi circumstantiæ aliquæ concurrant, quæ pactum reddant irritum, v. g. si gravis jactura honoris, vel aliorum bonorum immineat reo: dico 2. si reus sciat illud delictum, quia sibi manifestaverat testis, causa petendi consilii, strictius obligatur reus ad cælandum, non solum ex pacto tacito quod intervenit in petitione consilii, sed quia ipsa necessitas petendi consilium facit, pactum strictiori obligationi esse: peccabit igitur reus contra justitiam, si tale delictum manifestet: dico 3. Cum per injuriam cognovit reus ejusmodi delictum, jure naturali tenetur ad illud cælandum: v. g. si contra jus illius aperuit litteras ab illo; vel ad illum missas, & ex illis cognovit delictum ejus, quare delictum sic cognitum per injuriam non potest reus manifestare pro sui defensione, neque enim habet jus ad talem defensionem: dico 4. si vi, vel fraude quis extorsit notitiam criminis occulti, probabiliter poterit illud revelare ad vitanda gravia

tormenta, quia quamvis injuriam irroga-  
verit extorquendo secretum; jus tam ha-  
bet deinde revelandi in tanta necessitate,  
sicut si quis furatus esset Equum, posset eo  
uti inurgenti necessitate, etiam cum inte-  
ritu Equi.

175. **Q**uæritur. An possit aliquis sibi ipsi  
falsum crimen imponere ad vitanda gravia  
tormenta?

Resp. si non superaddatur juramentum,  
esse solum veniale ratione mendacii sibi ipsi  
crimen falsum imponere, ratio est, quia  
homo est suæ famæ dominus, non secus  
ac bonorum fortunæ, adeo ut possit ad sui  
humiliationem propria occulta delicta pa-  
lam facere, tum etiam quia esto non esset  
suæ famæ dominus, ut non est suorum  
membrorum, adhuc potest ad vitam sal-  
vandam famam prodigere, sicut potest bra-  
chium amputare, rectus enim ordo habet,  
ut bona inferioris notæ exponatur pro con-  
servandis majoribus.

### DEFENSIO OCCISIVA.

176. **Q**uæritur. An sit licitum Religio-  
so, vel Clerico occidere Calum-  
niatorem, gravia crimina de se, vel de sua  
Religione spargere minantem, quando alius  
modus defendendi non suppetit?

Resp. Opinio affirmativa ab Alexandro  
VII. expressè damnatur cum prop. 17. ratio  
est quia ne laicis quidem licet interficere  
Calumniatorem, ergo à fortiori non licet  
Religiosis, vel Clericis, qui honoribus  
mundanis nuncium remiserunt, ut vestigiis  
Christi inhæreant, cujus mansuetudinem,  
ac lenitatem debent imitari, præsertim quia

in-